



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. CXXXIII. De Provocatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

currere nec illi contrariatur, ea tunc legis provisionem non facit deficere, & *consil. 335. num. 25.* ubi axioma intelligit, quando legis provisio à Jure communi descendit, non à speciali, vel extraordinario, & *consil. 359. num. 37.* ubi similiter intelligit in casu proviso, non in alio. Modest. *Pistor. illustrum quest. Juris, part. 1. quest. 48. n. 40. cum multis seqq.* ubi pluribus modis limitat, & intelligit. Martinus *Pistor. lib. 1. quest. 47. n. 19. vers. est enim regulare.* Valentin. Franc. *de fidejuss. c. 5. rubr. de effect. fidejuss. num. 345.* Josephus Vela *dissert. 11. num. 111. ubi in vers. ex quibus.* axioma intelligit, cum provisio legis facta est in subsidium, seu defectum provisionis hominis, secus si ex alia radice. [add. & Just. Meier. *in tract. de mulier. hypothec. thes. 117.* ubi ait, quod tum demum provisio hominis tollat provisionem legis, cum lex ipsa provisionem hominis legitimam provisioni legis prætulit, v. c. Cessat hereditas ab intestato, quæ est provisio legis, quamdiu speratur successio testamentaria, quæ est provisio hominis. *l. quamdiu 69. l. in plurimum 70. in princ. l. venter 84. ff. de acquir. hered. l. quamdiu 89. ff. de R. I. l. antequam 8. C. commun. de success. l. 2. C. unde liber.* eodem modo etiam cessat tutela legitima, quamdiu speratur testamentaria. *l. qui sub 11. princ. ff. de testament. tutel. l. tutor. 9. §. 1. ff. de tutel. & rat. distrab.* Ubi autem lex provisionem legis prætulit hominis provisioni, ibi provisio hominis nihil potest contra provisionem legis: ita nemo potest facere, quo minus leges in suo testamento locum habeant, *l. nemo 55. ff. de legat. 1. nec ullus potest sine heredis institutione testamentum facere*, per ea, quæ tradit C. J. A. *lib. 28. tit. 5. thes. 1. in princ.* ac nemo potest tutorem testamento facere puberi aut emancipato, aut certæ rei, per notata in C. J. A. *lib. 26. tit. 5. §. 6. num. 4. 10. & 11.* & nemo potest facere, ne dolus in contractu præstetur. *l. 23. vers. excepto eo ff. de R. I. & ibi Gothofred. ad verb. ne dolus.* Quod si vero lex hominis provisionem non prætulit provisioni legis, neque hanc illi, tum utraque concurrere posse videtur, Exemplum *l. 3. C. de fidejuss. l. 1. C. de pact. pign. l. 3. ff. de legat. 1. l. lecta 40. ibi proba cum l. 3. ff. de reb. cred.* Sicut etiam limitari potest, ut procedat (1.) in provisione legis singulari: non enim tollit provisio hominis provisionem juris communis; quomodo lex non nisi in casum necessitatis jus singulare inducit, & cessat dispositionis

necessitas, ubi homo prospexit. Jafon. *in l. 2. C. de Jure Emphyt. n. 143.* (2.) provisio hominis tum hoc operatur, ubi nec dum nata aut in effectum deducta est provisio legis: Non autem ubi jam in esse deducta est legis provisio. Itaque id facit provisio hominis præveniens, ne provisio legis operetur: sed non facit id provisio hominis subsequens, ut quod antea lex operata est, ab initio irritum reddatur, (sive ad nihilum redigatur, ita accipio Bachov. *lib. 5. de pignor. c. 11. pag. 429.*) unde aliqui regulam hanc ita efferre solent: provisio hominis facit cessare provisionem legis. (3.) procedit regula: si æquè sit plena provisio hominis. vid. Cujac. *20. observ. 26.* ubi tamen injuriam facit interpretibus, qui regulam illam velint esse perpetuam.

CAP. CXXXIII. De Provocatione.

Axioma I.

Provocatus faciliè excusatur. c. gr. is, qui ulciscendi sui causâ defert eum, à quò provocatus est, *l. 2. de Jure Fisci:* quia faciliè ignoscitur ei, qui voluit vindictam sumere de eo, à quò fuerit provocatus, Menoch. *apud Brunnem. ad l. 2. C. de Delat.*

II.

Provocatus non tenetur primum ictum expectare, sed potest adversarium suum ad offensionem se præparantem prævertere, quia (1.) potentia, quæ actui proxima est, censetur esse in ipso actu *l. 1. §. 21. l. 18. §. 2. de acquir. possess.* (2.) terror saltem armorum, præprimis lethaliū, insultatum in vitæ discrimen adducit, (3.) injuriam imminentem propulsare licitum est, (4.) invasus se defendere debet, ne pereat. Theodoric. *Colleg. Crim. Cap. XI. aphor. 5. lit. E. n. 15. seqq.*

CAP. CXXXIV. Proxenetæ.

Axioma I.

Proxenetæ potest tractare, sed non concludere, nisi à partibus habeat mandatum ad concludendum, ut post Jacob. de Arret. trad. Bald. *num. 3. & 4. Angel. in 3. notab. num. 3. Salicet. 2. col. & Castreus. col. fin. in l. multum interest. C. si quis alteri vel sibi. Benevenut. Stracha in tract. de proxen. p. 1. n. 6. & p. 4. vers. seu. §. legitur in singulari. n. 8. Bertazol. 2. consule. decis. consil. 112. num. 7.*

II.

Proxenetæ in causâ, in qua proxenetæ fuit,

(Q) 3

testi-